



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. X. De Concupiscentia Carnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

Ignorant mansuetos, benignos, misericordes, ac ob Amorem DEI, erga quosvis amicabilese oportere? HUMIL. Eâ gratiâ nos hac domo eas depellimus ac exturbamus, litesque & jurgia cum eis gerimus, quòd Divino Amori, qui Princeps ac Dominus noster est, prorsus infestæ atque contrariæ, capitalesque hostes sint. Enimverò in illis, quæ Divino adversantur Amori, cum nemine nobis ulla pacis consensio, nec quicquam commercij est.

De Concupiscentia Carnis.

CAPUT X.

INterim Desiderius isthâc, quam erga Amorem DEI gerebat Humilitas, benevolentiam ac ingenti fiducia, mirificè delectabatur, aitque illi: Oratam te velim Domina Mater, ut quibusnam rationibus acad-
mi-

miniculis virgines illas pestiferas,
 hostes vestras superetis & hinc ejicia-
 tis, me docere non graveris. HUM.
 Equidem id probè te edoctum vel-
 lem. Sed quia naturam, vitam,
 habitudines animi ac spiritus tui nec-
 dum funditùs perspectas ac explora-
 tas habeo, sed conjecturas duntaxat
 & indicia quædam, adhuc animi
 dubia sum, num hinc instituendus
 sis. Siquidem ob naturæ multimo-
 das habitudines ac constitutiones,
 non omnibus mel dulce est. DESID.
 Domina Mater, quantusquantus
 hinc sum, & à te conspicio, totum
 me tuæ dedo voluntati, omnem ra-
 tionem ac intellectum meum tuo pe-
 nitùs submittendo ac permittendo
 judicio: tantùm ut me doceas, qua
 ratione DEI Amor mihi reperiendus
 sit. HUMIL. Faciam id sanè ex ani-
 mo: secretaque mea & exercitatio-
 nes omnes quotidianas, vitamque
 rotam tibi explicabo atque commu-
 nicabo. Principio quidem sanctum

illud Propositum ac Institutum meum, cujus supra memini, me totius mundi, dum eum contemno, Dominam fecit: per castigationes item & jejunia, Dominam corporis mei; & per humiliationem mei spontaneam non modò dæmonis, sed etiam totius plebis meæ & communitatis, ac mei ipsius tandem, quod maximum est, Dominam ac Principem constituit. Enimverò dum plebs mea operam dare atque conniti me conspicit, ut DEI Amori placeam, cum totâ mihi obsistit familiâ meâ. Sola ego cum antè memorato conjuge meo, pace & tranquillitate perpeti fisor. Stupebat intereà Desiderius virtutem ac efficaciam illius, quem Humilitas suum conjugem dicebat, aitque ad eam: DESID. Obsecro Domina Mater, ut per quasdam similitudines hinc me plenius atque apertius instituas. Sum namque sic satis obtuso ingenio, faciliusque per exempla

pla

pla & similitudines horum mentem
 assequi potero. Placebat Humili-
 tati isthæc Desiderij postulatio, quan-
 do quidem modestus ac humilis non-
 nihil effectus videbatur, dum se ru-
 dem ac hebetem agnosceret: dixitq;
 illi: HUMIL. Ubi aliquam ex præ-
 dictis virginibus huc ingressam ani-
 madverto, fili charissime, hac me
 ratione gero: nempe, dum prima
 adventat, ipsa scilicet Carnis Con-
 cupiscentia, jam antè conditiones ac
 habitudinem illius, & cuiusmodi
 ipsa sit, puta quòd admodum sit de-
 dita ingluviei, viresque sibi augeat
 cibi ac potionis adminiculo, neuti-
 quam ignoro. Eam obrem precio-
 sum omnem cibum illi subtraho: sed
 neque de communibus escis ac potu
 rantum illi permitto, quantum ipsa
 velit. Et quia propriæ vires ad eam
 edomandam non satis firmæ ac ro-
 bustæ sunt, maximè quòd domestici
 mei atque familia illi suppetias fe-
 rant, auxilium imploro: atque à

dextris mihi assistit Divina Gratia, quæ cor meum adversus hanc perniciosam virginem muniat & confirmet. Itemq; viri mei posco opem, aioque ad eam: Soror, carnem ipsa meam contempsi, meque jumentum duco: jumentum verò nullas præclaras expetit escas, sed solam corporis simplicem sustentationem: neque etiam petit aut inquirit alia, præterquam quæ Dominus illius ei præbere velit. Quòd si Dominus novit lascivum ac vorax illud esse, fiscella id capistrat, ne, nisi dum ipse velit, & quod illi visum sit, edat. Ita, soror, placet mihi hac in parte jumentum esse, meque ut jumentum gerere. Amor autem DEI capistrum mihi adhibuit, nempe sobrietatem, uti ne cibum capiam, nisi dum in commune administratur: & ne quid aliud inquiram, expetam, exigam, neque aliter apparatus & coctum, atque mihi proponitur: eoque contenta sim. Ad hæc

hæc DEI AMOR adjecit; siquidem ipsi placere ac servire velim, uti etiam ex illis, quæ administrata sunt, solum necessaria cum timore ac mediocritate temperanter accipiam: semperque honestatis causâ quippiam in catino remaneat, uti hoc ipso me gratam significem, tantumque mihi præstitum, ut adhuc aliquid in paropside reliquum sit. Nam dum cuncta absumuntur, tantundem est, ac si dicas: Quæ apposuisti, non mihi sufficiunt, neque ijs contentus sum: igitur jubeas plura apponi. Deinde etiam hæc mihi ob DEI Amorem institutio data est, velle quidem & appetere me debere, ut minus quàm cæteris, & quod pessimè præparatum sit, mihi tribuatur, semperque quippiam mihi desit, atque in hoc ipso ob Amorem DEI gaudeam. Hac nimirum ratione virgo isthæc procax & petulans, quantum quidem ad me attinet, proculcata ac prostrata est.

non mea duntaxat carne, sed etiam personis aliis ad libidinem me provocat ac extimulat, fugio eam quoad possum, ab illis omnibus me abstrahendo ac segregando, quibus me ad amorem & libidinem vel concupiscentiam illicit. Atque hac in parte, tanquam presentissimum remedium, precipuamque artem & antidotum, fugam amplector. Neque tamen solo in corpore me impugnat, sed etiam intus in anima varias & illicitas ingerendo cogitationes & imagines. Hoc casu itidem fugiendi remedium adhibeo, abscondendome in foraminibus petrae, in caverna maceriae, cogitationesque & imaginationes meas ad dulcissimum *JESUM* meum transfero, ejus videlicet sacratissimam vitam, passionem, cruciatum, & mortem nimis acerbam commemorando; itemque ad mentem revocando tormenta inferorum, severum *DEI* iudicium, mortemque meam & extremum vitae
hu-

huius diem, quodque divino me-
fisti tribunali necesse sit, de omnibus
illic rationem reddituram. Hisce
adminiculis virgo nefaria, Subpræ-
fecta Castri Superbiæ, prorsus pes-
sum premitur, forasque ejicitur.

*De concupiscentia oculorum,
& superbia vite.*

CAPUT XI.

POrro ad hanc penitus superan-
dam, necessarium est, sociam
illius, jam sæpè dictæ exitialis Do-
mûs Procuratricem, puta Concupi-
scentiam oculorum, quæ magnas
Concupiscentiæ Carnis præbet alas,
itidem profligari. Ista namque sæ-
piùs illi materiam subministrat,
quanquam & ipsa sancto Proposito
meo propulsatur. Siquidem ubi ad-
ventat, ita illi aio: Jumentum sum,
foror, novi que, jumentum non con-